

3139

C O D I C E S

3140

ruptis vocabulis hebraicis et graecis *Hel*, *Theu*, *Homoj*, *Geni*

Deus pater piissime
Christe ihesu dulcissime
Christus clementissime

A fol. 28. sequuntur Orationes ut plurimum e *Missali* acceptae de Festis Domini et SS. deque Diebus Dominicis, usque ad Fol. 48. quo incipit *Officium* de B. V. notis etiam musicis nitide instructum, eoque absoluto *Psalterium in honore beate marie*, diversum ab eo, quod inter *Bonaventurae* Opera legitur. Tandem fol. 116. *Praeces* pro Moribundis et *Officium* pro Defunctis *Codicem* terminant. Membris tamen eum ambientibus variae itidem *Precationes* a coeva, sed non tam elegante manu adscriptae sunt.

DCCCXCVII.

¹ Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 65. f. max. in usum quondam *FridERICI III. Imp.* splendide conscriptus. Insunt varii *Psalmi* ex Davidicis, *Hymni ac Praeces* ad Deum, B. V. aliosque *Coelites* adjecta interpretatione germanica Orationis dominicae, *Salutationis* angelicae, et *Symboli* Apostolorum. *Salutatio* angelica definit in haec verba: *Fruitus ventris tui Iesus Christus. Amen.* Nondum enim ea aetate adjuncta erat *precatio* illa: *Sancta Maria &c.* Qua de re videndus *Mabillonius Praef. ad Sec. V. Annal.* O. S. B. n. 123. Praeit omnia haec *Calendarium*, in quo

theos, Phobos &c. adeoque *superstitionem* olens, *cujus initium:*

Non est deus rex preter te
Tu habitas o domine
Incircumscripto lumine &c.

ad diem VI. Martii nomen *S. FridERICI Conf.* et ad diem XV. Apr. nomen *S. Helene Regine* literis miniatis consignatum est. Dederat namque *Nicolaus V. P. Rom. Eleonora Lusitanae FridERICI* conjugii potestatem nomen mutandi, seque *Helenam* adpellandi, *cujus rei testes pontificiae literae* in *Tabulario Oenipontano* existunt. In *Psalms* nihil animadversione dignum. Ex *Hymnis et Precibus* apparet, quorum SS. fidei et tutelae se *Fridericus* praecipue commendaverit; nimirum *S. Servatii, Aegidii, Georgii, Leonbardi, Christophori, Virgilio, Barbarae, Bartholomaei, Floriani, Helenae, Wenceslai, Jobannis Apost. Apolloniae, Petri Apost. Andreae Apost. Nicolai, Ambrosii, Karoli M. Imp. Stephani Regis et Conf. Ladislai et Emerici Regum, Colomanni, Martini, Erasmi, Tiboldi, Maximiliani, Adriani &c.* Quorum omnium nomina *Litaniis* quoque majoribus intexta ibi sunt, et aliorum praeterea, puta: *Morandi Conf. Henrici, Sigismundi, Conradi &c.* Porro ad usum *FridERICI Imp.* psalmodicum hoc volumen exaratum fuisse probant haec *Orationes:*

Fol. 25. pag. 2. *Deus regnorum et cristiani maxime protector imperii da seruo tuo friderico triumphum virtutis tue scienter excellere ut*

3141

LITURGICI

3142

ut qui in tua constitutione sum princeps tuo semper munere sim potens.

Fol. 39. *Onnipotens sempiternus deus qui dilectum Johannem apostolum et evangelistam speciali amore amplexatus es et eum in multis virtutibus roborasti presta quesumus ut sicut toxicato sibi dato et sumpto virtute sumpsit et signo sancte crucis munitus letiferum potum tua gracia et virtute sumpsit et eussit sic me famulum tuum Fridericum per intercessionem tui dilectissimi Johannis cuncta jacula inimicorum meorum euado et illesus corpore et anima permanebo in eternum et sanus et saluus te laudem et glorificem sanctum nomen tuum hic et in futuro per infinita secula seculorum Amen.*

Denique Fol. 63. *Domine deus lumen de lumine qui humanum (genus) crucis patibulo ex precepto patris redimere dignatus es qui me indignum famulum tuum Fridericum proprio sanguine tuo redemisti &c.*

DCCCXCVIII.

7 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 42. f. max. literis uncialibus eleganter scriptus in usum ejusdem Friderici III. Rom. Imp. cujus Symbolum cubitum longis characteribus in anteriori thecae parte expressum est. Folium 1. quaedam e vita Christi et B. V. Sanctos item Christophorum, Jacobum M. et Judam Thadd. 17. rudibus picturis exhibet. Sequitur Calendarium, tum variae Preces ad Deum, Coelitesque, Hymni, Psalmi, Litaniae. Inter alia Sal-

ve Regina cum subjuncta Oratione ter, Salutatio angelica trigesies quinquies, Oratio dominica vigesies, totiesque rursus Salutatio angelica alternis vicibus, eodemque modo bis germanice cum Symbolo Apostolorum scripta est. Inter Angelorum nomina identidem occurrit Uriel. Fol. 19. pag. 2. Oratio: Deus regnorum omnium &c. sic continuatur: da seruo tuo michi frederico triumphum uirtutis tue scienter excellere &c. Totum Volumen religiosum, Deo, Divisque deditum Principis animum loquitur.

DCCCXCIX.

Codex membraneus lat. Sec. ¹⁰XV. Folior. 30. f. max. uncialibus literis in usum Eiusdem eleganter, non tamen absque mendis, scriptus. Fol. 1. pag. 2. ejus Symbolum cum nota anni 1482. nec non haec verba: *Nos Fridericus prelibatus prescripta recognoscimus, et profitemur, et approbamus, literis aureis expressa sunt. Est rursus Euchologion, in quo post Calendarium iidem paene Psalmi, Hymni, Litaniae, Precesque habentur, quibus Codices praecedentes referti sunt. Oratio: Deus regnorum omnium &c. fol. 10. pag. 2. eodem modo profertur: da seruo tuo michi frederico triumphum uirtutis tue scienter excellere &c. In fine Litaniarum maj. aptius ad grammaticen dicitur: Agne dei, qui tollis peccata mundi. Fol. 26. pag. 2. versus hi leonini occurrunt:*

Te